

lem : ipsumque sepulcrum postea super exstructo, et in honorem sancti Michaelis sanctorumque martyrum Stephani atque Viti dedicato oratoriolo, adornavit vir Adalgarius, de quo supra diximus, qui et sancto viro successit in pontificatum. Sicque completa est visio supra memorata, de sua et domni Ansgarii in una ecclesia detentione, sed muri medii interpositione ipsis ad invicem sejunctis. Est enim præfatum oratoriolum contiguum antiquæ ecclesiæ, muro tantum ejus orientali ex uno in aliud aditum intercludente ; et in ipso, ut diximus, novo oratoriolo dominus Rembertus sepultus est : in antiqua vero ecclesia dominus Ansgarius requiescit. Et hoc est quod ipse in visione ipsa dixisse videbatur, quod annulum domni Remberti secum habiturus esset, ipso videlicet domno Remberto per fidem et operationem bonam perfecto, non longe post cum ipso conjungi debente, tam in vicinitate sepulcri, quam beatæ requiei perceptione, sicut olim ipse divino Spiritu revelante prædixit. Per annulum quippe fides significatur, qua nobis imago Dei exprimitur : et quia ipso manus ornari solent, quibus operatio designatur ; recte per hoc ostenditur, ornamento fidei bonum opus semper inesse debere. Quod quia dominus Rembertus in sua conversatione commisit sibi semper exhibuit, recte in præsidio mortis ejus

A multitudo plebis annulum ejus quæsisse ostensa est : per quod significatum est, tempore mortis ejus eos qui illi fuere commisi, anxie desiderare, ut adhuc exemplis in illo perspectis perfrui mererentur. Sed hoc jam fieri non posse tempus expetebat requiei ejus, quam episcopus Ansgarius plebem a quærendo annulo compescens significavit, dum eum diceret secum esse habendum.

CAPUT XXV.

B Suspensa est etiam super sepulcrum ejus lampas lignea, ut lumen continuum in ea ibidem haberetur : subtus ipsam vero in superficie sepulcri velamen jacebat expansum, in quo fertur præclarum contigisse miraculum ; quod in quantum ex relatione narrantium, vel memoria vel intellectu retinemus, ita gestum esse constat. Contigit quadam nocte conflagrasse eandem lampadem, ac primò crebros carbones decidisse ex illa super velum memoratum, atque illico subsequi etiam casum totius lampadis, ipsamque supra idem velum totam comburi, absque ulla læsione ipsius veli. Quod nulli dubium esse debet ad declaranda merita servi sui Christum fecisse, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum.

VITA SANCTI ANSCHARII

ARCHIEPISCOPI HAMBURGENSIS

AUCTORE SANCTO REMBERTO

(Vide *Patrologiæ*, tom. CXVIII, col. 959.)

ANNO DOMINI DCCCLXXXVIII.

AIMOINUS

MONACHUS SANGERMANENSIS.

NOTITIA HISTORICA IN AIMOINUM

(Fabric., *Biblioth. med. et inf. Lat.*)

AIMOINUS, sive AYMOUNUS, notarius et monachus S. Germani de Pratis in suburbio Parisiensi, qui subscripsit diplomati dato an. C. 872, regni Caroli (Calvi) 32. Ejus libri II ad Bernonem abbatem, *de Inventione et Translatione corporis B. Vincentii, Levitæ et martyris*, ex Valentia Hispaniæ an. 864 ad monasterium Castrum diœcesis Albingensis in Gallia, versibus scripti hexametris, una cum *Epistola ad Theotgerum monachum et carmine* versum 60 heroicorum de eadem translatione exstant, cum Breullii Aimoino Historiæ Francicæ scriptore. Parisiis 1603, in-fol. in Boscii Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605, in-8° ; et in Actis Sanctorum Januarii,

C tom. II, pag. 405 ; necnon in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti, sec. IV, part. 1, p. 652. Liber *de S. Germani, episcopi Parisiensis, Miraculis* ab an. 846 ad an. 874, scriptus an. 892 ; in Jacobi Mosandri Appendice ad Surium 25 Julii ; in Actis Sanctorum 6 Maii, pag. 804, et in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. Benedicti, sec. III, part. II, p. 104. *De Translatione S. S. Martyrum Georgii, Monachi, Aurelii et Nataliæ*, liber, et libri II *de eorum Miraculis*, apud eundem Mabillonium, sec. IV, tom. II, pag. 45. Sunt etiam qui huic Aimoino tribuunt libro *Miraculorum B. Mauri et Historiam inventionis corporum Placidi abbatis et sociorum ejus*.